



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. V. Ut Vana Gloria ad fores excubârit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

*Ut Vana Gloria ad fores
excubârit.*

CAPUT V.

Desiderius intereà lætus reditum Ostiarij, & Virginis adventum sustinebat : neque multò post modestissima quædam atque honestissima advenit virgo, quæ eum familiariter salutans, ab eo vicissim salutata est : dixitque illi Desiderius : Nomen tuum, obsecro, edicas mihi. Quæ ait : Equidem Nihilipensio vocor, quia non admisceo neq; occupo me rebus supervacaneis. Quî verò, ait Desiderius, Domus hæc appellatur? At illa, Domus, inquit, Humilitatis, siquidem multæ hîc intus virgines sub unius Humilitatis magisterio sive imperio commoramur. Quæ igitur, ait Desiderius, est virgo illa, quæ foris ad ostium subsistit? Respondit Virgo : Ea nimirum Vana Gloria est,

B 2. quæ

que perpetim ad fores residet, donec patefiant. Quamobrem si Ostiarius sit negligens, neque strenuè suum curet officium, aut fores sinat apertas, potest utique huc irrepere. Cur eam non intromittitis, inquit Desiderius, quando verbis, habitu, gestu benè morata & honesta videtur? Neutiquam, ait virgo, eam nōsti, mi Frater. Fera profectò pessima est. Nam quantò habitu ac moribus honestior ac religiosior videtur, tantò deterior est. Ecquid, ait Desiderius, mali vobis irrogat? Ad quod Virgo: Quantum, inquit, maximè potest. Namque improbissimo patre progenita est, qui Amor sui appellatur: & matre nequissima, nempe sui reputatione vel existimatione immodica. Hoc autem patre & matre, itemq; eorum filiâ, nullos magis perniciosos toto orbe hostes experimur: iidemq; Equiti cuidam, qui præcipuus noster Paterfamilias est, &

Amor

Amor DEI dicitur, multò sunt infestiores. Et ut noveris, quæ nobis mala inferat Vana Gloria, ubi semel intrò irrepsit, usque adeò vorax & gulosa est, ut cum primis ad hortum sese recipiat, fructusque omnes arboris, omnium, quas habemus, pulcherrimæ & optimæ, tollat ac devoret, cùm tamen illis fructibus vitam sustentemus, neque nisi unicam duntaxat, quæ hos ferat fructus, arborem habeamus, eamque tam parcos producentem fructus, ut vix sustentandis nobis sufficiant. His autem ablatis per Vanam Gloriam fructibus, tam inopes ac pauperes remanemus, ut nihil omnino nobis sit reliquum. Et quod his pejus est, tam versipellis est adulatrix, ut posteaquàm semel huc ingressa est, nemo sit, qui multo sudore eam possit foras ejicere, præter solam præcipuam Matrem nostram: quâ visâ, mox in pedes sese conjicit. Unde satius est, nullam ei huc in-

troeundi copiam facere. Atque ea re consultissimum nobis visum est, senem hunc ostiarium nobis perpetuum retinere. Nam valde durus & rigidus est, moxque illi fores præcludit, agitque satis, ne huc possit ingredi. Adeoque precatæ eum sumus, ut, quoties porta reseranda est, circumspectus sit, nec ostium unquam apertum manere sinat. Stupebat hæc Virginis dicta Desiderius, aitque ad eam: Magnoperè sanè curandum vobis est, quandoquidem tam vobis pernicialis est, ne in has ædes ullus ei unquam aditus patefiat.

Qua ratione ad Humilitatem perveniatur.

CAPUT VI.

AIt porrò Desiderius: Quisnam te in has elegantes, honestas, & virtutibus conspicuas perduxit ædes? Duæ, illa respondit, virgines